



**Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque  
Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus,  
nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. IV. Solvuntur objectiones

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

# DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

109

quidem non vult ignorare, non tamen curat A  
addiscere ea quae potest, & tenetur scire; & haec  
ignorantia vocatur crassa seu supina.

**129.** Ex quibus intelliges divisionem allatam esse  
bonam & convenientem: Nam ignorantia, ut  
conducere potest ad rationem voluntarij, tri-  
pliciter potest se habere ad actum voluntatis,  
qui continet actum externum ex ignorantia fa-  
ciendum, primò ut causa, secundò ut effectus,  
tertiò neque ut causa, neque ut effectus, sed ut  
per accidens concomitans talen actum: At-  
qui ignorantia, quae verè est causa actus, est  
ignorantia antecedens, quia causa præcedit ef-  
fectum, prioritate saltem naturæ; ignorantia  
verò quae est effectus voluntatis, est consequens,  
quia effectus consequitur causam; ignorantia  
tandem quae neque est causa, neque effectus,  
neque præcedit, neque subsequitur ratione cau-  
salitatis talen actum, sed solum illum comita-  
tur, & per accidens illi conjungitur, concomi-  
tans est: Ergo ignorantia convenienter dividitur  
in antecedentem, concomitantem, & sub-  
sequentem.

**130.** Notandum secundò, involuntarium posse su-  
mi dupliciter; primò positivè, vel contrarie,  
quatenus dicit aliquid quod est contra inclina-  
tionem voluntatis; secundò negative, vel con-  
tradictoriè, prout dicit puram negationem vol-  
untarij, & melius dicitur non voluntarium;  
quia licet non sit secundum inclinationem vo-  
luntatis, non est tamen contra, sed merè indif-  
ferenter se habet. Dubitur ergo, quænam ex  
dictis ignorantis causet involuntarium positivè,  
aut negativè?

## S. II.

*Resolvitur difficultas, quoad ignorantiam  
antecedentem.*

**D**ico primò, ignorantiam antecedentem  
causare involuntarium simpliciter. Ita Di-  
vus Thomas hic art. 8.

**131.** Probatur: Quod causat effectum omnino no-  
litum, & repugnantem inclinationi voluntatis,  
causat involuntarium simpliciter: Sed ignoran-  
tia antecedens causat effectum omnino nolitum,  
ac repugnantem inclinationi voluntatis, ut patet  
in exemplo supra adducto; projiciens enim  
fagittam ex ignorantia antecedente, occidit ho-  
minem quem noluit occidere, & quem dolet  
occidisse: Ergo ignorantia antecedens causat in-  
voluntarium simpliciter. Ex quo inferes, illam  
excusare à peccato: quia peccatum adeò volun-  
tarium est, ut si non sit voluntarium, non sit  
peccatum: unde qui invincibiliter ignorat v. g.  
esse vigiliam, non peccat carnes comedendo;  
de quo fuis in tractatu de peccatis.

Ex hoc etiam intelliges, quinam contractus,  
quænam vota, & similia, valida sint, si sicut ex  
ignorantia antecedente. In his enim atten-  
da sunt duo, videlicet substantia rei, & acci-  
dentialia: si ignorantia sit de substantia, invalidus  
est contractus; secundus autem, si sit de accidenti-  
bus: unde si quis contraheret matrimonium  
cum muliere paupere, existimans esse divitem,  
matrimonium hoc esset validum; quia dixit  
& panpertas sunt quid accidentale matrimonio:  
si vero contraheret cum Catharina, existimans  
esse Margaritam, matrimonium non esset vali-  
dum, quia est ignorantia circa substantiam.

Dif. 6.  
art. 1.

## S. III.

*Alia difficultas, quae est de ignorantia conse-  
quenti, expeditur.*

**D**ico secundò, ignorantiam consequentem  
causare voluntarium simpliciter, & invo-  
luntarium secundum quid. Ita S. Doctor in eo-  
dem articulo.

Probatur prima pars: Qui vult causam alicu-  
jus effectus, vult etiam in ipsa causa effectum  
ex ea sequutum: Ergo cum ignorantia conse-  
quens sit simpliciter volita, etiam effectus ex illa  
sequutus erit simpliciter volitus in illa, & per  
consequens simpliciter voluntarius.

Altera etiam pars suaderet: *Quod fit contra*  
aliquam inclinationem voluntatis, est involun-  
tarium secundum quid: Sed effectus proveniens  
ex ignorantia consequenti, fit contra aliquam  
inclinationem voluntatis: Ergo est invo-  
luntarius secundum quid. Minor probatur: Ope-  
rans cum tali ignorantia, ita est affectus dum  
operator, ut si adesset scientia, non poneret ef-  
fectum, unde illò positò, & adveniente scientiâ,  
tristatur; ut patet cum quis non faciat sufficien-  
ti diligentiâ, putans occidere feram, occidi-  
amicum: Ergo voluntas operans cum illa igno-  
rantia, habet aliqualem inclinationem in oppo-  
situm. Patet Consequentia: nam ut ait Aristoteles 3. Ethic. cap. 1. *Eorum qui per insensam agunt, is quem facti punit, invitus egisse dicuntur.* Ex quo inferes, quod sic illa quæ sunt  
ex metu, sunt mixta ex voluntario & involun-  
tariorum, ita & ea quæ procedunt ex ignorantia con-  
sequenti.

Adverte tamen, quod ignorantia subsequens  
est duplex; una purè subsequens, quæ condi-  
tionem concomitantis non admittit; ut cum quis  
affectat ignorantia, ut liberius peccet, vel cum  
quis negligit scire quod debet, unde postea cum  
ignorantia peccat, quod pertinet ad ignorantiam  
crassam: alia est ignorantia subsequens,  
admittens conditionem ignorantiae concomi-  
tantis, que idèo mixta ex utraque dici potest;  
v. g. cum aliquis non faciat sufficieni diligentiâ,  
dum putat se occidere feram, occidit hostem  
suum, quem valde cupiebat occidere. Ignorantia  
ergo consequens, quæ non est mixta ex con-  
comitante, sive sit affectata, sive crassa, causat  
involuntarium secundum quid; non autem illa  
quæ est mixta ex concomitante, modò expli-  
catò: cum enim omne mixtum participet ex na-  
tura utriusque extremi, talis ignorantia mixta  
participat ex subsequenti quod est de ejus essen-  
tia, scilicet facere voluntarium simpliciter, ex-  
cludendo involuntarium simpliciter; & de con-  
comitante, non tristari de effectu, sed letari, at-  
que adeò non causare involuntarium secundum  
quid.

## S. IV.

*Solvuntur objectiones.*

**C**ONTRA primam partem conclusionis  
objici potest: Ignorantia consequens re-  
movet scientiam, quæ si adesset, homo non  
faceret id quod modò facit ex ignorantia: Ergo  
talis ignorantia causat involuntarium simplici-  
ter. Antecedens est Divi Thomæ in hoc articu-  
lo, ubi loquens de hac ignorantia ait: *Causat  
tamen secundum quid involuntarium, in qua-*

Q ij

tum precedit motum voluntatis ad aliquid agendum, quod non est scientia praesente. Et probatur exemplo supra adducto: Nam in casu quo quis non facta sufficienti diligentia, dum putat se feram occidere, occidit amicum, illa ignorantia est consequens, siquidem est voluntaria per negligentiam; & tamen removet scientiam praesentiam amici, quae si adesset, nullo modo jaceret sagittam, nec illum interficeret: Ergo ignorantia consequens removet scientiam, quae si adesset, non faceret homo quod facit per ignorantiam. Consequentia vero probatur: Non alià ratione ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter, nisi quia removet scientiam, quae si adesset, homo non faceret id quod facit ex ignorantia: Ergo si eodem modo se habet ignorantia subsequens, eodem modo causat involuntarium.

**136.** Respondeo concessio Antecedenti, negando Consequentiam. Ad cuius probationem, nego Antecedens: non enim ideo solùm ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter, quia privat scientiam, quae si adesset, impediret id quod fit ex ignorantia; cum haec ratio communis sit utrique ignorantiae, antecedenti scilicet & consequenti, ut argumentum convincit; sed etiam quia ignorantia antecedens, non est voluntaria formaliter aut virtualiter, nec supponit aliquid actum voluntatis, in quo sit volita tanquam in causa: unde cum ignorantia consequens sit voluntaria formaliter aut virtualiter, utpote supponens actum voluntatis, in quo tanquam in causa continetur; licet excludat scientiam, quae si adesset impediret actum, causat tamen voluntarium simpliciter, & involuntarium solùm secundum quid.

**137.** Obiecies secundò contra secundam partem conclusionis: Tota ratio quare ignorantia consequens causat involuntarium secundum quid, est quia operans ita est effectus, ut si haberet scientiam non operaretur effectum: Sed hoc non sufficit ut effectus censeatur involuntarius secundum quid: Ergo ignorantia consequens non causat involuntarium secundum quid. Major patet ex supra dictis, Minor probatur. Quod operans cum ignorantia concomitante sit ita affectus, ut etiam praesente scientia libentius produceret effectum, non sufficit ut talis effectus producatur voluntarius secundum quid, ut patebit ex dicendis conclusione sequenti: Ergo ejus opusitum non sufficit ad involuntarium secundum quid.

**138.** Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad probationem, concessò Antecedente, nego Consequentiam. Ratio disparitatis est, quia ad rationem voluntarij requiritur cognitionis, quae quia deest operanti cum ignorantia concomitante, non potest effectus produktus cum tali ignorantia esse voluntarius, quamvis operans ita sit habitualiter affectus, ut etiam praesente scientia libentius produceret effectum: ad rationem autem involuntarij, non est necesse adesse cognitionem, sed sufficit quod effectus sit contra propensionem & inclinationem saltem habitualem, quae tunc sit, cum producitur effectus.

S. V.

Tertia difficultas, qua est de ignorantia concomitanti, elucidatur.

**D**ico tertio: Ignorantia concomitans neque causat voluntarium, neque involuntarium, sed non voluntarium. Est etiam Divi Thomae loco citato.

Probatur prima pars: Cum sit de ratione voluntarij fieri cum cognitione illius in quod tendit, ut ex ejus definitione habetur, repugnat ut aliquis voluntariè tendat in illud quod ipsi omnino ignotum est: Sed quod procedit ex ignorantia concomitanti, est omnino incognitum; mors enim inimici v.g. facta à venatore, dum adhibita sufficie diligentia putavit esse feram, omnino ignota est: Ergo quod procedit ex ignorantia concomitanti, non est voluntarium.

Dices: Facta ex ignorantia consequenti sunt voluntaria simpliciter, ut supra ostendimus, & tamen procedunt ex ignorantia: Ergo falsum est quod ut aliquid sit voluntarium, debeat esse cognitum.

Respondeo distinguendo Antecedens: & tamen procedunt ex ignorantia, ut opponitur cognitioni formali & in se, concedo: ut opponitur cognitioni virtuali & in causa, nego: licet enim facta ex ignorantia consequenti, non sint in se & directè cognita, virtualiter tamen & indirectè sunt cognita in causa, & haec virtualis cognitionis, seu voluntaria carentia cognitionis debita, sufficiens est ad causandum simpliciter voluntarium. Quae vero fiunt ex ignorantia concomitanti, nullam omnino supponunt cognitionem effectus ignorati; id est, non solùm formale, sed neque virtuale, seu voluntatem ignorandi; quia nunquam contingit ignorantia concomitans, nisi quando facta est sufficiens diligentia.

Probatur secundò eadem pars: Si effectus ex ignorantia concomitanti factus, esset voluntarius, id deberet provenire ex illa voluntate præsupposita ex parte subjecti, quā talem effectum libentius voluisse, si illum cognovisset: Sed talis voluntas non potest tribuere illi effectui rationem voluntarij: Ergo effectus ex ignorantia concomitanti factus, voluntarius non est. Major patet: nihil enim aliud imaginari potest, à quo in tali effectu derivetur ratio voluntarij, quam illa voluntas. Minor vero probatur: nam voluntas illa non imperat talem actum: v.g. cum aliquis emitit sagittam, & interficit hostem, putans se occidere feram; emissio sagittæ non imperatur à voluntate occidendi hostem, cum existimat ibi non adesse, sed à voluntate venandi & occidendi feram, quam putat ibi latere: Ergo non potest effectus, ignorantia concomitanti factus, esse voluntarius ex voluntate præsupposita.

Quod etiam non sit involuntarius positivè, ut habet secunda pars conclusionis, patet: Tum quia non repugnat inclinationi voluntatis, imò vero voluntas ita affecta est, ut si sciret, libentius operaretur: Tum etiam, quia cum demum adest scientia contraria, v.g. cum venator, putans occidere feram, invenit se occidisse inimicum, non dolet, imò potius gaudet: Ergo talis effectus, neque est voluntarius, neque involuntarius, sed solùm non voluntarius.